

[Accueil](#)[Revenir à l'accueil](#)[Collection](#)[Mythologiae libri decem, Francfort, André Wechel, 1581](#)[Collection](#)[Mythologia, Francfort, 1581 - Livre VI](#)[Item](#)[Mythologia, Francfort, 1581 - V, 07 : De Satyris](#)

## **Mythologia, Francfort, 1581 - V, 07 : De Satyris**

**Auteur(s) : Conti, Natale**

Syrinx vel fistula vel cantum fistule apud Græcos significat. Testatur Lucretius lib. 5. calamos à vento agitados sibilum prius emisisse, ac postea in locis paludosis id à pastoribus observatum dedisse facultatem inventioni, ut patet ex his:

*Et Zephyri canas per calamorum sibi la primum  
Agrestes docuere canas inflare cicentia.  
Inde minutatim dulces didicisse querelas,  
Tibia quas fundit digitis pulsata canentium,  
Ania per nemora, ac sylvas, saltuque reperta  
Per loca pastorum deserta, atq; otia dia.*

Illud cum Pan pastor primus reperisset, creditus est Deus ut reliqui rerum multarum inventores. Amavit etiam Lunam quia materia rerum omnium naturalium astrorum beneficio & Lunæ præcipuè informatur, & ad procreationem properat. Ea materia cum Pan vocetur, mateq; ipsum etiam intra se contineat, iure Pan piscatorum etiam fuit Deus, quæ omnia breviter complexus est Orph. in hymnis hoc pacto:

*ἀρμονία κέ με μοι κροίκων φίλον πάγμοι μοι παῖ  
φαίτασιν ἰπὸ φωνῆ, φέρων ἱκανὰ γλυκεροτάτων  
ἀγροῖο μοι χερσὶν ἀπὸ πίδακας, ἠδὲ τριβέτας  
νύκτασιν, θυρεῖτηρ, ἠχῆς φίλα, εὐγχεριτυμφῶν,  
πιπιτιφῆς, γυνίτων πάντων, πολυώνυμος δαίμων.  
Harmoniam mundi faciens dulcedine cantus;  
Terrarumque antor mortalibus, & moderator;  
Caprarum gaudens pastoribus atque bubulcis;  
Musarum dux, & Venator, amator & Echus,  
Cunctorumque parens idem celeberrime dæmon.*

Atque totus fere hymnus consumitur in commemorandis ijs potestatibus & viribus, quæ tribuuntur elementis quippe cum illud fuerit antiquorum institutum ut sub fabularum figmentis uniuersa nature consilia & seriem occultarent, unà cum vitæ rectè instituendæ præceptis: cum tamen Deorum fabule magis ad res naturæ: hominum, ad mores magis pertinerent, ac de Pane satis, nunc dicatur de Satyris.

## De Satyris.

## CAP. VII.

**S**ATYRORVM origo quæ fuerit, aut è quibus parentibus sint geniti, vel ubi, vel quâdo esse cœperint, vel qua de causa fuerint Dij habiti ab antiquis, neque in quemquam an-

ti quorum scriptorum fide dignum incidi, qui explicauerit, neque ipse excogitare potui. At quæ de his mihi cognita sunt, putavi esse breuiter explicanda. Horum sententiam prætermittendam duxi, qui Fauni vel Saturni filios fuisse Satyros crediderunt, cum nullis certis rationibus nitantur. Plin. lib. 7. nat. hist. animalia Satyros esse scribit velocissima, quæ quatuor pedes haberent, in subsolanis Indorum montibus, humana effigie, ac rectè currentia. Hi manibus esse dicebantur aduncis, cornua habere in fronte, cum pars extrema similis esset caprarum. Scriptum reliquit Pausan. in Atticis Euphemum ex Caria in extremas Oceani partes delatum multas desertas insulas inuenisse, in vnam quarum Satyridam vocatam cum tempestate coactus egressus esset, incolas rufos, & caudas habere intra clunes haud multo minores equinis, reperit. Illi ubi primiti adesse hospites senserunt, cucurrerunt ad naues, nullaq; emissa voce in mulieres, quæ erant in nauibus, impetu facto manus iniicerunt. At nauitæ trepidi barbaram mulierem, quam secum vehabant, exposuerunt, in quam illi petulantissimè irruentes vndiq; appetiuerunt. Dicebantur esse Satyri Bacchi socij, vt Sileni, sicuti testatur Plato in illo Epigram. in Satyrum:

ἄμι μὲν εὐκράσιος φίλος θεράπων Διονύσου  
λείβω δ' ἀργυρίων ὑδάτων Ναϊάδων.

*Nam sum ego cornuti gratias ferunt Dionysi.*

*Libo pulchrarum flumina Naiadum.*

Hos etiam conuitorum amicos appellauit Nilus in eo carmine:

πάντες μὲν κατόννοι φιλοκίρτομοι.

*Omnia amat Satyrus conuicta.*

Dicti sunt autem Satyri à salacitate, vt ait Theocrit. enarrator: cum σαθή tentigo sit & titillatio ad Venerem. Hi cum essent seniores, dicebantur Sileni, vt ait Pausan. in Att. At Nicandri enarrator non antiquiores fuisse Satyros vocatos scribit, sed ab antiquis Silenos dictos fuisse Satyros hoc pacto: οὐτὲς δὲ οὐς ἡμεῖς κατόννοι λέγομεν, οἱ ἀρχαῖοι πιλύωνος ἰκάλεον, ἀπό τῆς σιμαίνης, ὅ ἐστι λαϊδορεῖν. at vero quos Satyros nos appellamus, antiquis nominarunt Silenos, ab eo quod est σιλαινῆς, quod conuictiars significat. Hos tamen nonnulli arbitrabantur esse demonas, ac pro Dijs coluerunt. Fuit autem consuetudo, vt illi primitias pomorum & vuarum offerrent, vt testatur Leonidas:

ἄλκυονότασι πατέροισι, καὶ ἀμπλαγύτερι βάκχῳ  
 ἠρώσῃ, πρῶτες δράγματα φυταλιῆς,  
 τριπλῶν οἴνων πίδακ' ἰσχυροῦσι ἠρώσαστο τῆσδ'  
 ἀμπλάσας οἴνῳ πρῶταχόττις κάδ' υἱ.

*Heronax Satyris, dicit Bacchoque tuenti,  
 Arboribus prima hac munera raptā dedit.  
 Vineā cum triplex produxerit, ecce facta aut  
 De primo musto tres simul ille cadot.*

Scriptit Pomponius Mela insulas quasdā ultra Atlantem Mau-  
 ritanię montem fuisse, in quibus per noctem lumina videren-  
 tur, cymbalorumque ac tympanorum, & fistularum & tibia-  
 rum strepitus audirentur, cum tamen nemo per diem cerneret-  
 tur: quas insulas Satyri habitare crediti sunt. Sic scriptum fuisse  
 invenimus in ea navigatione Annonis ducis Carthaginen-  
 sium, quam fecit ultra columnas Herculis in Libyę partibus,  
 quam reuertens Carthaginem in templo Saturni deposuit, ut  
 scripsit Atrianus: nam præter cætera auditu admirabilia hæc  
 etiam in illa scribebantur: Ἄρχη ἤλθομεν εἰς μέγαν κόλπον, ὅν ἴ-  
 σασκεναι ἐρμῶν τε καὶ ἠῶν ἐπιπέρι κίρασε. ἐν δὲ ταῦτα εἴσοσι μὴ  
 εἶτα' εἰς ἠεὶ ἀποβάσσει, ἡμέρας μὲν οὐδὲν ἀφωρῶμεν, ὅτι μὴ  
 ἔλλω. νυκτὸς δὲ πυρά τε παλά καίμενα, καὶ φωνῶν αὐλῶν ἠέσο-  
 μεν κυμβάλοι τε καὶ τυμπάνων πάστων καὶ κραυγῶν μυρίαν.  
 φίλοι ἄν' ἴλασθαι ἡμᾶς. *Donc ad magnam quendam sinum  
 pervenimus, quem interpretes Vesperis cornu vocari dice-  
 bant: in quo alia erat insula, in quam egressi, nihil per diem,  
 nisi sylvam videbamus, at per noctem ignes permultos ac-  
 censos, & vocem fistularum audiebamus, cymbalorumque ac  
 tympanorum incredibilem strepitum, quare nos timor invasit.  
 in his enim locis magna Satyrorum multitudo habitare cre-  
 debatur. Huiusmodi monstra cum aliquando mortalibus ap-  
 paruissent, homines rudes & ad timorē propensi, minimē con-  
 siderantes naturam eandem malignam & diuinam esse non  
 posse, quicquid formidabile vel admirabile apparuisset, pro  
 Deo habuerunt, atque cum Satyri per sylvas crederentur vagari,  
 quibus armenta vel greges fierent obuij, ne his nocerent, inter  
 Deos pastorum illos retulerunt, at nunc de Silenis dicamus.*

*De Silenis. CAP. VIII.*

**A**ΤΟΥ multi fuerūt etiam Sileni, quando Pausanias in re-  
 bus Atticis natu maximos Satyrorū Silenos nuncupatos